XXIX. 72

DEO DUCE, AUSPICE CHRISTO.

DISPUTATIO JURIDICA DE JURE NULLITATIS IN CONTRACTIBUS CONSENSUALIBUS,

Quam

SUFFRAGIO ET AUTORITATE

Magnifici JCtorum in Illustri Academia Jenensi Ordinis,

SUB PRAESIDIO

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

DN. ADRIANI BEIERI, J.U.D.

Celeberrimi, &c. Præceptoris atque Patroni sui nunquam non observandissimi,

In Auditorio JCtorum

ad diem April.

Publico doctorum examini submittit

MARTINUS Schütz/

Hallâ-Sax.

AUTOR ET RESPONDENS.

JENAE, Literis Johannis Jacobi Bauhofferi,

ANNO M. DC. LXVI.

JOVA JUVA!

Caput proëmiale & primum, De Nullitate, ejusdemque Jure in genere.

I.

NUllum, quasi ne ullum dicitur, atque adeò ei, quod aliquid est, opponitur, & idem quod nihil aut non ens significat. Quemadmodum itaque unumquodque quod aliquid, ullum, aut ens est, ex suis principiis constitutivis constare debet; ita, quod his destituitur, non ens, nihil ac nullum dicetur: & Nullitas erit vitiositas actûs tanta, ut non solùm id quod produci debuit, non eveniat; sed ne quidem aliud quid simile. Nam nullum est quasi ne ullum aliud.

II. Sicuti autem in natura ita comparatum est, ut cujusvis rei, si principiis suis constituentibus careat, essentiam quoque & existentiam deesse necessum sit, illud non minus in negotiis in jure, quod naturam imitatur, *Domin. Arum. Exerc. ad Instit. 1. θ. 3.* consistentibus, contingere probatum est. Quoties enim eorum principia, i.e. requisita substantialia, per quæ vitam quasi & animam nanciscuntur, desunt, nil certè agitur, & nullitas seu defectus in ipsa essentia occurrit.

III. Hanc nullitatem variis modis contingere, hinc inde ex [illegible]ssimi Juris nostri monumentis colligere licet. Et quidem, quando vel contra ipsam legis dispositionem actum est, adeò, ut ne quidem volentibus partibus sustineri queat, uti ex casibus in tota disputatione subjectis patet; quam Nullitatem non incommodè Totalem quis ab ejus effectu vocaret. Vel, cùm vitiosè & contra substantialia negotii actum est, ut planè nullus quidem sit actus, possit tamen subsistere alterâ parte volente, e. gr. Si dolus bonæ fidei contractui causam dederit, h. e. Si quis dolò ad contrahendum inductus sit, cùm alias non contracturus fuisset l. 7.

set *l. 7. pr. ff. de dol. mal.* Ibi, cùm decipientis consensus sit perfectus, etiam ab ejus parte firma est obligatio, & libera alteri est concessa potestas, num velit contractum dicere nullum, an verò conservare, & actione ex eo competente, interesse ob damnum illatum petere. *Magnificus Dn. Struv. Patronus atque Promotor studiorum meorum summâ observantiâ colendus in Syntag. Jur. Civil. Exercit. 8. θ. 28. Dn. Carpzov. Jurispr. forens. part. 2 Constit. 34. def. 9.* Et hanc itidem totalis nullitatis speciem vocare liceat.

IV. Deinde contingit Nullitas, cùm quidem non penitus nullum est negotium, sed ab una tantùm parte, & quasi claudicat: casum huc facientem deprehendimus *in pr. J. de Autor. Tutor.* ubi Imperator in his causis, ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, veluti in contractibus consensualibus, pupillos sine tutoris autoritate contrahentes non obligari, proponit, illos tamen, qui cum ipsis contrahunt (nisi etiam sint pupilli) firmiter iis obligari, & quidem regulariter: Exceptiones enim habentur in ll. brevitatis studiô saltim subjunctis (1) *l. 5. pr. ad §. 1. ff. de Autor & Consens. tut. vel Curat. l. 13. §. 1. & l. 14. ff de Condict. Indebit.* (2) *§. 3. Inst. Quib. mod. toll. obl. l. 1. §. 1. ff de Novat. l. 127. ff. de V. O. l. 94. §. 4. ff. de solut. l. 25. §. 1. ff. quand. dies legat. cedat. l. 44. vers. pupillo. ff de solut.* (3) *l. 14. de SCt. Syllan. l. 4. §. 26 de dol. mal & met. except. add. B. Dn. Ungeb. Ex 10. q. 3. Bacbov. ad Treutl. vol. 1. Disp. 6. θ. 5. lit. B.* Hæc Nullitas dici potest Partialis.

V. Aliâ tandem ratione Nullitas existit: vel, quando contractus aliquis aliam quàm contrahentes intendêre formam recipit, ut si quis cum Aurifice convenerit, ut certi ponderis ac certæ formæ annulos mihi faceret, ex auro suo nulla est locatio Conductio, quàmvis ego putaverim, sed emtio. *l. 2. §. 1. ff. loc. §. 4. Inst. eod.* vel, si quoad partem contractus non est talis qualis à partibus esse putatum e. g. Si simul pecunia & alia Species, quam pecunia superet, pro re detur, pro parte nulla est venditio, sed permutatio. *Magnif Dn. Struv. Exerc. 27. θ. 17.* Verùm hæ Nullitates non ita rigidè & propriè videntur dici posse nullitates ut præcedentes, ubi negotium ita nullum, ut ne quidem simile aliud existat, de quibus tamen omninò acturi sumus.

VI. Quoniam autem præcipuè in hoc discursu ostensuri sumus, quando contractus ipso jure nullus, operæ pretium erit,

ut præ

ut præmittantur quidam talis Nullitatis characteres. Ipso jure nullus est actus, quando vel lex expresse cum clausula cassatoria, quod sc. aliter factus, debeat esse irritus. *vid. Authent. cassa C. de SS. Eccles.* vel etiam simpliciter, quòd non valeat, lata est, uti *in l. 2. C. de Canon. frument.* tunc enim subintelligendum est, ipso jure. *Vant. de Nullitat. Tit Quod & quib. mod. Nullit. propon. n. 51. vid. Farinac. p. 2. fragment. tit. L. n. 170.* Aut, si lex non quidem prohibitive, sed dispositivè tantùm loquatur, *Vasq. p. 2. Controvers. c. 10. n. 5.* & sic formam det ipsi contractui seu actui, si scil disponat de certa solennitate in eo adhibenda: Eo casu illa dispositio legis ipsam ejus substantiam concernit, adeoque ob absentiam talismodi formæ præscriptæ, ne vitam quidem nancisci posse dicitur negotium, huc facit *l. 8. §. 17. ff. de transact. & notabilis l. 21. C. de Testament.* in qua totam testamentorum formam reperimus expressam. Nec impedit, quòd quandoq; Judex postmodum sententiam cassatoriam seu declaratoriam ferat, quia nihilominus negotium, de quo fertur, ipso jure nullum est. *Magn. Dn. Struv. Ex. 39. th. 31. in fin.*

VII. Quòd si lex pœnam simul adjiciat, regulariter actus non ipso jure nullus est, *Donell. lib. 6. c. 13. lit. D. & ibid. Hillig.* aut jubeat solennitatem post actum jam factum adhiberi, quod, cùm sit accidentale, nequit nullitatem ipso jure causari, si omissa: Sic donatio 500. solidos excedens, si non actis insinuata fuerit, in se non est ipso jure nulla *§. 2. Instit. de donat. l. 34. l. pen. §. ult. C. eod.* Huc quoque referre liceat, quòd bonorum immobilium oppignoratio jure Saxon. fieri non possit sine confirmatione judicis, Landrecht. *l. 1. artic. 8. Constit. Elect. p. 2. C. 23.* non tamen hâc omissa evadit ipso jure nulla, cùm ea insinuatio solùm in favorem creditorum requiratur, ab ipso autem debitore, ejus omissio impugnari non possit. *Dn. Carpz. ad d. C. 23. d. 5. Ord. Process. El. T. 46.*

VIII. Cùm itaque legis transgressio sit origo & scaturigo Nullitatis, siccò, quod dicitur, pede non prætereundum, quomodo contra legem committatur. Atque primò hoc fieri solet, si directè & apertè contra legis verba quis agat: Ita is, qui filiofam. pecuniam mutuò dedit, nihil aget *l. 3. §. 3. ff. ad SCt. Maced.* quoniam contra ejus literas apertè & expressè actum. Deinceps

contra legem peccatur, cùm quis non quidem contra aperta ejus verba, contra mentem tamen & sententiam moliri delectetur. Si quis itaq; filiofam. non quidem pecuniam mutuò dedit, aliud tamen ipsi vendendum, cujus pretium deinde in mutuum habere debeat, dedit, lex violata est. *d. l. 3. §. eod. in fin.* Multifariàm autem adversùs mentem legis agitur. vel de re ad rem, de persona ad personam, vel de contractu ad contractum, quod fit in posteriori jam adducto casu. *Zas. ad l. 29. ff. de legib.*

IX. Cùm igitur quotidiè videamus genium humanum ita esse dispositum, ut alter alteri jus suum intervertere summâ nitatur operâ; idque sæpius in Contractibus Consensualibus, quippe quorum laxior est natura, ut pluribus infra dicetur; non potui non & in odium fallentium & me exercendi causa, præcipuas horum contractuum nullitates ac defectûs, in quantum imbecillis ingenii curta supellex permittit investigare. Ex his autem defectibus jus quoddam alteri nascitur, quod jus Nullitatis dici, ac definiri potest: Facultas jus suum ob transgressionem legis ab altero factam in periculo constitutum, conservandi.

Dico facultatem, ad modum aliarum facultatum in jure consistentium; â quibus tamen differt, quòd aliæ ad jus alicui vel acquirendum, vel recuperandum, hæc verò ad jus suum conservandum sit comparata. Sed ad rem cum bono Deo, veræ justitiæ uberrimo fonte.

CAP. II.

Proponit Nullitates seu defectûs contractibus consensualibus communes.

I.

Generaliter præmittimus, quòd contractus quicunque Consensualis (imò & realis) nullius sit momenti, si defectus adsit in ejus substantiali; non verò in Naturali & Accidentali. Est autem JCtis Substantiale, quod prædicatur de Contractu essentialiter, i. e. quod aut est ipsa rei essentia, quod voca-

tur

tur species: aut de essentia illius tanquam conceptus communis seu contrahibilis, quod appellatur Genus: vel tanquàm conceptus proprius seu contrahens, & vocatur Differentia *plur. Reverend. Dn. Schubart. in Colleg. Logic. Disp. 1. θ. 3. & seq.* Sic contractûs Substantiale est Consensus *l. 1. §. 2. & 3. ff. de pact.* Naturale est illud quod ex essentia quodammodo fluit, ita ut quidem insit contractui, licet â partibus haud sit expressum, nihilominus tamen de eo, salvâ manente essentiâ, aliter convenire possit. *Magnif Dn. Struv. Exerc. 6. th. 23. in fin.* ita Naturale omnis contractûs est latæ, levis & levissimæ culpæ præstatio, secundùm cujusque contractûs indolem *d. Exerc. θ. 24.* Accidentale est, quod præter essentiam aut contra naturam contractûs regularem singulari conventione adjicitur. Sive quod auget vel minuit eandem. sunt verb. *Magnif. Dn. Struv. d. Ex. θ. 24. in fin.* Hisce præmissis facilè colligendum, contractum nullum esse, si consensus inter partes contrahentes abest. *l. 1. §. 3. ff. de pact.*

II. Ille autem impeditur vel Naturâ ob defectum Intellectûs & Voluntatis: quod accidit in furiosis & mente captis, qui planè inhabiles sunt ad contrahendum, cùm nesciant quid agant. Differt autem furiosus â mente capto in eo, quòd mente captus tranquillâ mentis alienatione, furiosus tumultu & clamore desipiat. *B. Ludvvell. in Comment. ad Tit. de R. J. l. 5. argum. l. 25. C. de Nupt. l. 2. ff. de inoffic. Testam. Giphan. ad § 4. Inst. de Curat.* Cui & prodigus, qui moraliter consentire nequit, assimilatur; intelligitur autem in jure nostro prodigus, cui bonis â Magistratu interdictum. *l. 6. ff. de Curat. furios. dand. l. 40. de. R. J.* huc referunt etiam summâ ebrietate perfusum, Prælaud. *Magnif. Dn. Struv. Ex. 6. θ. 37. in fin.* non tamen pubertati proximum, qui alium sibi obligare potest, quàmvis non alii seipsum *Zach. L. 1. quæst. Medic. Legal. l. 1. t. 1. quæst. 4. & 5.*

III. Vel ob extrinsecum quoddam impedimentum; quod est, vel Error in re, de qua conventio fieri debet. Ideoque cùm nullum adsit fundamentum, super quo consensus partium quiescat, ipso jure nullum est negotium, *l. 51. ff. de pact. l. 57. ff. de Obl. & act.*

& *Act.* Idem dicendum, si in causa sive titulo error committatur, e.g. si emere me putarem, alterius verò intentio sit, mihi rem velle locare, nec erit Emtio-Venditio, nec Locatio-Conductio, *l. 18. pr. ff si certum pet.* quoniam errantis nullus consensus est, sed potius dissensus *l. 8. C. de jur. & fact. ignor.*

IV. Vel impedit consensum Dolus, qui est callida machinatio ad injuriam alicui inferendam, cùm aliud agitur, aliud simulatur, *l. 1. §. 2. ff de dol. mal.* isq; aut dat contractui causam, aut in eum saltem incidit: Quòd si contractibus consensualibus causam dederit *l. 7. pr. ff. de dol. mal.* ipso jure Nullitas evenit *l. 16. §. 1. ff. de minor. l. 3. §. ult ff. pro soc.* h.e. per se, & suâ naturâ intrinsecâ ab initio, cui deinde jus civile extrinsecus adstipulatur, nullum est negotium. *argum. l. 5. C. de Resc. Vendit. l. 3. §. f. ff. pro soc. Dn. Joh. Adolph Riemer. Disp. Inaugural. De Natura & Different. action. bon. fid. & Strict. Jur. th. 62. in fin.* Contrariatur enim maximè substantiæ & fundamento horum contractuum, scil. consensui *vid Gail. 2. Obs. 2. Dn. Carpz. p. 2. C. 34. def. 9. n. 3.* nec non bonæ fidei, quæ in illis continetur, à quâ etiam bonæ fidei contractûs dici merentur, quòd sc. ea maximè hic exuberet, propter naturam suam & qualitatem, quæ in hoc consistit, quòd in illis ipsis, quia maximè societatem humanam attingunt ac promovent, plurima ab utraque contrahentium parte ex bona fide præstanda contineantur, quæ tamen, ut fraudes & captiones absint, propter eorum ampliorem naturam ab initio singulatim exprimere difficile est, atq; ob id æquum judicis arbitrium efflagitat ea, quæ bona fides requirit, quàmvis non in conventionem deducta, supplere. *Mude §. 31. Inst. de Act. Tim. Fab. Disp. 27. th. 8.* Sin verò dolus saltem in hos inciderit, adhuc sustinentur & actione ex ipso contractu, cui semper actio & exceptio doli inest, purgatur *l. 9. pr. ff. de dol. mal. l. 13. §. 5. & 4. de Act. Empt. l. 11. §. 5. eod.*

V. Alia est ratio Contractuum & negotiorum Stricti Juris, quales sunt donatio, Stipulatio & alii, quibus, quidem egregiè promovetur humana societas, angustior tamen est eorum natura, quòd nimir. non adeò contineant utriusque partis nexum,

& ta-

& facilius possint exprimi præstanda, ut non opus sit benigniori Judicis interpretatione, §. 30. *Inst. de action.* §. *ult. de Obl. quæ ex Consens.* His, sive dolus causam dederit, sive inciderit, nullitati locus haut relinquitur, sed vindicatur dolus mediante restitutione in integrum ex capite doli *vid. tot. tit. ff. de dol. mal.* Volunt tamen quod etiam Jure Canon. dolus dans causam stricti Jur. Contractui, ipsum faciat ipso Jure nullum. *VVesenb. in Consil. & Schneidevv. ad §. 28. Inst. de act. n. 29.* quod vix admittam.

VI. Obstant dicta Intellectui. Circa Voluntatem qr. An & Metus, qui est instantis vel futuri periculi causâ, mentis trepidatio, *arg. l. 1. ff. quod vi metusve caus. gest.* contractum annullet? Statuunt de rigore Juris valere contractum quem metus concomitatur; rationem addit *Subtiliss. Bachov. ad VVes. parat. n. 1. quod vi & met. caus.* quòd tunc, cùm quis metu adigitur, principium sit in ipso agente, cui metus infertur; eligat enim ex duobus malis id quod minimum est, & electum habeat rationem boni. Limitatur tamen quoad bona spiritualia *VVes. in parat. in pr. de iur. Gail. Pap. Sing. 969.* quarum natura non fert, ut, cùm semel sunt perfecta, possint per restitutionem, sive sub alio prætextu rescindi *arg. c. Quanto 7. extr. de divort.* adeoque meritò ab initio ipsi metui est occurrendum. *Bachov. ad VVes. d. l. n. 1.* Non igitur valet contractus violentus per quem res Ecclesiæ alienata est. *arg. c. 2. extr. de reb. Eccles. alien. vel non.*

VII. Porrò ob meram legis dispositionem nullus est contractus ob defectûs circa subjectum occurrentes: v.g. ob statum personarum contrahentium; cùm sc. unus est in alterius contrahentis potestate, adeoque non nisi una persona contrahens adest quæ secum ipsa contrahere ac contractum, qui conventio est, absolvere non potest; itaque filiusfamiliâs cum patre, nec non fratribus ejusdem patris potestati addictis, nisi contractus concernat bona castrensia aut quasi, sive adventitia plenò jure ad eum pertinentia, planè inutiliter contrahit *l. 15. §. 1. ff. de pecul. Castrens. l. 2. ff. ad SCt. Maced. Nov. 117. c. 1.* Mulieres verò quòd ad contrahendum sufficiant, indubitati juris est, exceptâ fidei ussione ac intercessione pro alio, licet etiam pater consenserit. *Dn. Struv. Ex. 21. §. IV.* Item Servus nec obligari ex sua persona civiliter po-

 test,

teft, fed ex fola Domini perfonâ quatenus ejus conditionem facit meliorem *l. 17. in fin. l. 21. §. 1. & 2. l. 59. ff. de pact. l. 62. ff. de V. O.* Tandem & ex natura obligationum; quæ eft, quòd quisque tantùm pro fe non verò pro alio, contrahere poffet, contractus irritus eft. Aliud eft fi in alterius fit poteftate, vel alio modò, veluti per mandatum ab eo dependentiam quandam habeat. *tot. t. C. fi quis alter. vel. fib.*

VIII. Nullus ulterius eft ratione Objecti, rei fc. aut facti, ut puta, cùm res fit extra commercium *l. 83. §. 5. ff. de V. O. §. 1. 2. Inft. de R. D.* Sed inquis: Quomodo loci facri & liberi hominis fubfiftit venditio *l. 4. ff. de Contrah. Emt.?* Refp. Non effe venditionem ad rem ipfam confequendam, fed ex emto experiri poffe deceptum ut confequatur quod interfuit fuâ, ne decipiatur. *l. 62, §. 1. ff. eod. vid. Dom. Arnm. Difp. ad ff. 13 θ. 1.* Aut fi factum, de quo convenit, fit impoffibile, vel ipfo jure naturæ, quod quidem præftare non eft naturaliter impoffibile, turpitudinem tamen quandam in fe continet *l. 6. C. de pact. l. 4. ff. de Inutil. ftipul. l. 35. ff. de Verb. obl.* vel jure civili, quod in fe f. abftractivè confideratum, non quidem eft malum, ob certas tamen rationes á jure civili pro malo habetur *d. l. 35. l. 6. §. 2. C. de poftul.*

IX. Deniqne tandem nullus eft contractus ratione formæ ipfi à juribus præfcriptæ, quam formam exprimit Imperator *in pr. Inft. de Obl.* quòd fcil. fecundùm Civitatis Romanæ jura in contrahendo fit procedendum. Sed de hoc ad fingulos contractûs fpecialiter dicemus, illud infuper folùm fubjicientes, quòd fi partes velint per Scripturam contrahere, nullus verus adfit ante Scripturæ exiftentiam contractus, *Vultej. ad §. 1. Inft. de Emt. Vend.* Tunc autem Scripturá fieri contractus dicitur, quando ab initio ftatim inter partes actum eft, ut inde fieret Scriptura. *Dn. Carpz. p. 2. c. 33. def. 12.*

CAPUT III.

Enodat in fpecie Emtionis-Venditionis Nullitates.

I.

Nunc præcipuos fingulorum confenfualium contractum defectûs feu nullitates difquifituri, primùm Emtionem-Venditionem, tanquam Contractum in focietate humana utilifsi-

lissimum & frequentissimum aggredimur, qui definitur, quòd sit Contractus Juris Gent. de re emptori tradenda pro pretio in pecunia numerata venditori dando *Sutholt. Disp. ad Inst.* 15. *th.* 2. Nullus autem præcipuè est Ob defectûs substantialium, quæ sunt Consensus, Res & pretium.

II. Antequàm tamen defectûs illos inquiramus, prius de personis quarum causâ omne jus constitutum §. 12. *Inst. de Jur. N. G. & C.* & quarum respectu etiam evenit Nullitas, solliciti erimus. Interdicta est quibusdam vel Emtio, quales sunt Advocati; quorum cum Clientulis suis emtio nulla & cassa pronunciatur in *l. 6. §. 2. C. de postul.* Medici cum ægrotis *arg. l. 9. C. de Profess. & Med. Pat. de Emt. vend. axiom.* 83. adeoque etiamsi ultra dimidium læsus non sit æger, rescindi posse tradunt. *Fachin. lib. 2. qu.* 25. *Pinell. in l. 2. pr. C. 1. n. 33. C. de Resc. vend.* Illi qui officium in provincia tenent, ab incolis ejusdem provinciæ ob suspicionem concussionis emere prohibentur. *l. 62. pr. ff. de contrah. emt.* Sed hoc ab usu recessisse testatur *Christine. dec.* 86. *n.* 3. *Zas. ad l. 33. ff. de R. C.*

III. Vel Venditio, quales sunt, Crimine repetundarum aspersi *l.* 10. *ff. de accusat.* quò refert *Gothofred. in not. lit. G.* Crimen peculatûs & de residuis. Maritus, qui fundum dotalem ne consentiente quidem muliere vendere potest. *pr. Inst. quib. alien. lic. vel non.* Syndicus quoad bona Civitatis *l. 3. § 4. ff. quod vi aut clam.* Prælatus ac rerum Ecclesiasticarum Oeconomus *l. 14. C. de SS. Eccles. c. 6. c. 1. extr. de reb. Ecclesiæ alien. vel non.* Quod extendit etiam Vultej. ad Orphanotrophos, Xenodochos, Nosocomos, & in simili officio collocatos *in Jurispr. Roman. c.* 11. *n.* 13. 14. *& seq.* Quod tamen limitatur, nisi maximè urgens adsit necessitas quæ venditionem suadeat. *Nov.* 120. *l. 32. C. de Episc. & Cleric.* Hîc obiter notari potest, quòd hodiè Nobiles ditiores, potentiores ac honoris gradu conspicui non facilè possint Mercaturæ inhærere *l. 3. C. de Commerc. & Mercat.* quod tamen intelligendum de tenui, & solius quæstûs gratiâ sordida Mercatura, quam per seipsos Nobiles exercent; *Tiraquell. de Nobilib. c. 27. n. 7.* hôc enim modô Mercatura instituta videtur derogare Nobilitati. *Scotan. Exam Jurid. p. m. 368. Mynſ. Cent. 6. Obſ.* 84. *Gutierretz l. 1. practic. Quæst. c. 137. n. 8. 9. & seq.*

IV. Di

IV. Dictum superius, contractum nullum esse ob defectum substantialium, & quidem primò consensûs. Hic deficit vel ob dolum, vel Errorem: ac interdum ob metum voluntas. Error accidit vel in causa seu titulo, puta si quis existimet rem transferri emtionis-Venditionis titulô, alter verò ex alio *l. 18. ff. de R. C. l. 1. §. 3. de pact.* vel (2) in ipsa re, cùm talis in venditionem deducitur, de qua tamen uterque contrahentium non cogitavit, e. c. si me emere putarem feudum Cornelianum, alter se vendere Sempronianum *l. 9. ff. de Contrah. emt.* Hoc tamen non indistinctè & perpetuò ita se habet, quòd ob errorem circa rem contractus sit nullus, sed distinctionis præsidiò res componenda, utrum videlicet error sit totalis, h. e. in qualitate quodammodò essentiali sivè quoad ipsam rei essentiam, *vid. Bachov. Vol. 1. D. 28. th. 7. add. Bartholin. Enchiridio Logic. L. 1. c. 17.* ut si æs pro auro *l. 14. ff. de contrah. emt.* acetum factitium pro puro vino, quod planè est alterius indolis, nimir. calidum & humidum, illud vero frigidum & siccum *Dn. Hahn. in Observat. ad VVes. parat. n. 5. in fin.* aut si mensam argentô coopertam tantùm, mihi ignoranti pro mera argentea vendiderit imprudens *l. 41. §. fin. ff. de contr. emt.* An verò error sit partialis, v. g. si viriola quæ aurea dicebatur, magna ex parte ænea reperta esset *l. 14. ff. d. t.* eoque casu est valida *d l.* tenetur tamen venditor in id quod interest emtorem non deceptum esse *l. 20. §. 2. ff. de Act. emt. Suthols. D. ad Inst. 15. aph 7.* Si tamen major pars rei, quæ cùm venderetur integra existimabatur, perierit, veluti si maxima pars domûs incendiô absumta esset, planè nulla est venditio *l. 57. de contr. emt.* Cæterùm si error sit in rei tantùm nomine, non obstat quo minus sit Emtio. *l. 9. ff. d. t.*

V. Quid verò juris, si erretur in qualitate? Et sciendum, quòd dupliciter hoc fieri possit: vel in qualitate à lege dependente, si forte res commercio exemta sit; & distinguendum, an sciverit utraque contrahentium pars, rem talismodi legali qualitate affectam esse, & contractus merè nullus est *l. 34. §. 2. l. 70. ff. d. l.* an utraque pars; vel saltim emtor ignoraverit, ac similiter invalidus

validum est. *l. 62, §. 1. d. l.* cum hoc tamen apposito, quòd emtor ex emto agere valeat, ad consequendum quod ejus interfuit non decipi, vel pretium á venditore ignorante restituendum. Vel in qualitate á Natura rei dependente, ut cùm aurum quidem sit, verùm deterius ac vilius quám alter existimavit, & valet negotium *l. 10. l. 11. §. 2. ff. de Contrah. Emt.*

VI. Supra dictum, Metum interdum (sc. in reb. Eccles.) nullum quoque efficere contractum consensualem. Habentur tamen casûs, ubi vis atque metus eò magis firmum inducunt; ut, cum quis publicæ utilitatis causâ, ad evitandam annonæ caritatem, contra suam voluntatem adigitur. *Sichard. & Dn. Brunnem. ad l. 16. C. de jur. delib.* Eâdem ratione cogi quis potest ad vendendum alimenta tempore annonæ, si sc. copia eorum penes ipsum sit *l. unic. C ut nemin. lic. in emt spec. Mynſ. cent. 5. Obſ. 27. Schegk. Disp. ad Inst, 18. θ. 28.* Imò quàmvis generali Sanctione vel Imperiali rescriptô ac Privilegiô se excusare posset: ratio, quia tempore privilegii nihil de hoc cogitatum esse censetur. *Dn. Brunnem. add. l. Unic cumpluríb. ibid. allegat. Autorib.* plures casûs huc facientes *vid. in l. 12. ff. de relig. & sumt. fun. §. ult. Inst. de his qui sui vel alien. Jur. add. Vinn. Comment. Major. ibid. l. 7. §. ult. ff. commun. divid. l. 78. §. 4. ff. de Jure dot.* Huc quoque addunt casum, quando Nobilis in suos subditos nimiam exercens sævitiam Jurisdictionem suam vendere cogitur, *Gometz. lib. 2. variar. resol. c. 2. n. ult. Mynsing. cent. 5. Obſ. 8. Pac. de Emt Vend. axiom. 213.*

VII. Nullitatis causam præterea præbet Rei in Emtionem deductæ inhabilitas. Res inhabiles sunt, quæ præter eas, quarum in cap. præced. θ. 8. mentio facta, ex speciali aliqua Juris Civilis ratione prohibentur emi aut vendi. Prohibetur autem purpura Regium decus quoddam *l. 1. C. quæ res vendi non poſſ.* Militaris annona sive publici Canonis frumentum *l ult. C. eod.* Frumentum in herbis vel aristis; quò refer uvas adhuc pendentes: ad inhibendam & coërcendam avarorum dardanariorum immoderatam cum agricolis emtionem (Schädlichen Auffkauff) *confer. Ordinat. Polit. de anno 1577. tit. 9.* Mancipium Christianum Judæis paganis & hæreticis *tot. tit. C. Ne Christian. Mancip.* Prohibentur externis, præsertim hostibus, arma & ferrum vendi *l 2. C. quæ res export. non deb.* quò re-

 ferunt

ferunt pyrium pulverem ad sclopetarum instructionem necessarium, cotes, sales atque alia belli sustentamina, triremes & naves *Molina de Just. & Jur. D. 343. n. fin. Stracha de Mercatur. p. 1. n. 13. & seq.* Res hæreditariæ certo respectu. *l. 26. ff. de contrah. emt. l. 7. & 6. ff. de Jur. delib.* Feudum nec à Vasallo sine consensu domini, nec à domino absque consensu vasalli alienari potest. II. *feud. 34. Magnif. Dn. Struv. Syntagm. feud. c. 2. aph. 3. n. 3.* Item Emphyteusis invitò dominò directo *Dom. Arum. Disp. ad Inst. 14. θ. 14. Ludvvell. ad §. 3. Inst. de Locat. Cond* Venenum *l. 35. §. 2. ff.* ubi & limitatio. *l. 3. §. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Huc nota, quòd non facilè & incautè venena à pharmacopoeis vendi debeant P. H. O. *artic. 37. §. ult.* Res litigiosa, sivè ignoranti sivè scienti vendatur *l. 1. pr. ff. de litig. l. 2. l. ult. C. eod.* observandum tamen discrimen, ut sciens non tantùm ad redhibitionem rei compellatur, sed etiam pretiô privetur, quod venditor cum alia tanta quantitate fisco inferre *d. l. ult. pr. C. de litig.* Ignorans verò pretium cum alia tertia parte à venditore recipere adigitur *d. l. ult. θ. 1.* aliàs rem litigiosam dotis nomine dari posse, item donationis ante nuptias, & per legatum vel fideicommissum relinqui posse, nec non si fortè peritura esset, aut constet apertè de non jure adversarii, illam alienari posse *Cujac. in parat. Cod. ad Tit. de litigios. & Dn. Brunnem. ad l. 4. C. d. t.* nullatenus dubitant.

IIX. Si res quidem sit habilis interdum, sit tamen incerta, nullam esse Emtionem expeditum est, verùm absque Nullitate propriè dicta. Incertæ autem res sunt res fungibiles ante adponderationem, adnumerationem & admensurationem factam. *VVesenb. in parat. ff. de contrah. emt. n. 10.* nisi per aversionem (über hâupt) emtæ sint *l. 35. d. t.* Aut si injustum sit pretium, nullam etiam efficit venditionem; sed non ipso jure, & læso succurritur remediò rescissionis. e. g. Si quis in hoc contractu ultra dimidium læsus esset *l. 2. C. de resc. vendit.* Item si bona, de quibus publicæ pensitationes ac tributa debebantur, sub hasta fraudulenter & vili pretiô distracta sint, licèt id dimidiâ pretii parte minus non sit, non quidem ipso jure irrita est venditio, sed mediante rescissione *l. 16. C. de Resc. Vend. cum Gloss. ibid. ad verb. æstimetur* Plura rescissoria beneficia *vid in tot. t. ff. de Resc. Vend.* Neque ob pretii inhabilitatem, ut si locò ejus detur alia res, propriè nullitas oritur, sed transit contractus in aliam formam, scil. permutationis.

tionis. Neque obest, quòd ante inventum nummum etiam dici potuerit emtio, æstimando sc. rerum pretium ære, aurô, ferro non signatò, imò & bobus, pellibus atque sale, ut testis est *Dn. Hahn. in observ. ad Wes. de contrab emt. n. 1. add. Jerem. c. 32. vers. 9. & seqq.* quoniam nos intelligimus emtionem LL. Rom. hodiernis conformem. Nec, si pretium sit incertum, vel determinatione partium, vel evidenti relatione ad quantitatem jam aliorum contractu non determinatam, vel usu aut locô. *L. 7. §. 1. l. 37. ff. de contrab. Emt.* vel arbitrio alicujus tertii haud definitum *l. fin. C. d. t.* vel definitum, sed contra æquitatem, negotium nullitatis accusandum est; cùm adhuc possit certum evadere, & ad boni viri arbitrium reductio fieri *l. 77. ff. pro soc.* & quidem per officium Judicis, quod maximè in b. f. negotiis elucet. *Ludvvell. ad §. 1. n. 3. Inst. de Emt. Vend. & Pranobiliss. Dn. Schröter Præceptor atq; Promotor meus ætatèm colendissimus in not. ad Sutholt. D. 15. aph. 19. verb. ad arbitr. bon. viri.* Quòd possit definitio pretii etiam in ipsius ementis aut vendentis arbitrium conferri, minimè ambiguus est *Magnif. Dn. Struv. Ex. 23. θ. 19. in fin.* contra Pinell. *in l. 2. C. de Resc. Vend. & Ludvvell. ad §. 4. Inst. de Emt. vendit.*

IX. Ob formam, à legibus præscriptam, prætermissam, etiam nulla est Emtio-Venditio. Minoris itaque bona præsertim prædia si absq; decreto vendita sint, irritum est, negotium *l. 11. C. de præd. et aliis reb. min.* aut si decretum quidem interpositum fuerit, verùm sine causæ cognitione. *Dn. Carpzov. P. 2. C. 11. def. 28.* Aliud tamen obtinet, si venditio à Judice fiat in judicati executione, vel creditor jure suô rem minoris sibi pignoratam vendat. *l. 26. d. t. & Dn. Brunnem. ad l. eand.* Quàmvis in foro Saxon. Emtio Vend. immobilium publicè actis non insinuetur, nihilominus rata est, *Schultz. in Synops. Inst. ad. tit. de emt. vendit. lit. c.* Non obst. **Landrecht.** *l. 1. art. 52. in pr.* quoniam Jus Saxonic. eatenus tantum valet, quatenus usu receptum est. *Hartm. Pistor. l. 1. q. 16. n. 11.*

X. Nulla denique est, si contra pacta alter vendiderit. Tàlia pacta sunt commissorium *de quo tot. tit. ff. de lege Commissor.* ubi ipsô Jure: Item quando contra Jus προτιμήσεως, quod ob plures causas (quæ vid. ap. *Magnif. Dn. Struv. Ex. 23. θ. 51. 52. & seqq.*) introductum alteri venditio facta, ubi factô hominis rescinditur. Huc quodammodo referri potest, quando quis, ultima voluntate alicu-

jus

jus, ex qua hereditatem adit, aut legatum agnoscit, causâ expressâ, prohibitus, vendidit, *Tit. ff. de legat. & Fideicom. Dominus Frantzk. ad Tit. de contrab. emt. n. 178.* nisi per pactum prohibitio facta sit, quo casu non est ipso jure nulla. *Dn. Brunnem. ad l. ult. in f. C.* Coeterum an quis alteri, vel sibi sub alterius nomine vel alienâ pecuniâ emerit, non præcisè hic contractus invalidus est. Casûs subjicere prolixum foret, ideoque seqq. texxt. evolvere juvabit: *tot. tit. C. quis alteri vel sibi l. 64. ff. pro soc. l. 59. ff. de jur. dot. l. 16. C. de donat inter virum & ux. l. 5. §. 4. ff. de autor. & consens. tutor. l. ult. C. de contrah. & committ. stipul. §. ult. Inst. per quas person. cuiq; acquir. l. 1. C. eod. l. 8. C. de acquir. R. D.*

CAPUT IV.

Ostendit Locationis-Conductionis Nullitates.

I.

Locatio-conductio, quæ est contractus de præstando certo rei usu, aut præstanda personæ opera pro certa mercede *l. 15. §. 1. l. 22. §. 1. & 2. ff. locat.* non minus ac alii contractûs ob vitia ejus naturæ seu substantiæ penitus inimica, nullitati est obnoxia. Sunt verò ejusmodi, quæ contingunt ex defectu Caussæ efficientis sc. Consensûs vel expressi, vel etiam taciti seu præsumti in reconductione *l. 13. in fin. & l. seq. l. 16. ff. locat.* in prædiis rusticis ad annum *l. 13. §. f. d. l.* in urbanis prout quisque habitaverit *d. l. & Gotofred. ibid. lit. M.* Cæteræ nullitates huc pertinentes *vid. c. 2. th. 2. & seqq.*

II. Ex vitio Caussæ materialis: veluti cùm quis alteri rem talem ad usum suum concedat, cujus tamen usus planè non subsistit. Sequitur inde, quòd res fungibiles, quarum usus consistit in abusu, omni locationi exemtæ sint. Aliàs, sive sint corporales sive incorporales, ut Jurisdictio, ususfructus, &c. nil refert. Si tamen Servitutes prædiales, quæ fundo debentur, separatim, & non cum ipso fundo in hunc contractum veniant, nullus est. *l. 44. ff. locat. VVesenb. in parat. eod. n. 5.* sivè deinde sint mobiles, sive immobiles; sive propriæ, sive alienæ *l. 7. ff. d. t.* cùm in locatione non transferatur dominium, sed usus tantùm salvô dominiô penes

nes dominum. Quibus non obest, quòd, si oves & vaccæ ferreæ (eiserne Schaaff und eiserne Kühe) locari dicuntur, periculum maneat penes conductorem, adeoque consequenter in eum dominium transeat: cùm hoc propriè non sit locatio-Conductio. *Dn. Habn. ad VVes. ad tit. locat. n. 12.*

III. Vel si operæ s. facta impossibilia tàm naturaliter quàm moraliter & lege, *vid. cap. 2. th. 8.* in hanc Conventionem veniant. Non est itaque Locatio Conductio, si operæ sacerdotum Ecclesiasticæ *c. [illegible] in Ecclesia extr. de Simon.* Liberorum hominum operæ, in perpetuum veniant, *argum. l. 71. §. 2. ff. de Condit. & demonstr. l. 37. de liber. caus.* Aut ad minimum sint talia, quæ absque opera ac industria fieri solent, quale est Servi manumissio *l. 5 §. 2. & l 7. P. V.* ubi ideò actio p. V. còmpetit *dd. text.* Aut si quidem factum singulari aliquâ operâ & industriâ indigeat, nulla tamen certa merces constituta sit, nec industria sit talis quæ locari soleat, ut Advocatorum, Medicorum, Præceptorum & similium, qui operam beneficii causâ præstare dicuntur. *Dn. Habn. ad VVes. Locat. n. 5. in fin. l. 22. ff. de præscr. Verb. § 1. Inst. de Locat. Cond.*

IV. Si pretium aliter quàm in *pecunia numerata* sit constitutum, erit ne nullitas commissa? Videtur quidem, quasi in nummis consistere debeat, propter *l. 5. § 2. ff. de præscr. Verb.* ubi inquit JCtus: nisi pecunia intervenerit non esse locationem; Ast, quoniam pecunia non solùm æs signatum, sed etiam res fungibiles, pondere seu numerô & mensurâ constantes significat *VVegner. in Commentar. ad Tit. de V. S. l. 4 n. 2.* non ambigendum, quin locatio sit, si res fungibiles mercedis locô veniant, *VVes. in par. Locat. n. 7. Ludovell. per l. 18. & 21. C. de locat. Conduct. l. 19. §. si domus ff. eod. ad §. 2. Inst. d. t. cum plurib. ibid. alleg. AA. B. Dn. Ungeb. ad decretal. h. t. n. 16.* Quamvis aliàs regulariter pecuniâ numeratâ utamur. *Magnif. Dn. Struv. Ex. 24. th. 5.* Præcisè pecuniam numeratam requirunt, *Sutholt. D. 15. th. 43. Dom. Arumæ. ad ff. D. 13. th. 9. Dn. Habn. ad VVes. d. t. n. 6.* quam tamen sententiam alius cui volupe est defendat. Iterum aliam, eamq; admodum plausibilem sententiam fovet Lopetz, distinguens inter locationem fruendi & faciendi: quòd scil. in illa res fungibilis possit pretii locô esse *per l. 15. l 21. C. de locat.* in hac verò pecunia numerata, *l. 19. ff. depos.*

& l. 5. §. 2. ff. de P. V. quam etiam approbant *Prænobiliss. Dn. Schröter in suis not. ad Sucholt. D. 15. th. 43. & Dn. Brunneman. ad l. 21. in fin. & de locat. & Zæs. in Cod. h. t. Quæst. 3*, rectissimè itaque pro usu rei, ex qua fructûs percipiuntur, veluti ex fundo, certam annuam fructuum quantitatem locô mercedis solvimus, *l. 8. C. de Locat.* Rectè itidem locatio subest, si, cùm jam tum ab initio merces in pecunia constituta est, postea inter partes convenerit, ut frumentum aut similes fructûs, imò pecora certô pretiô æstimata *l. 9. C. de Resc. Vendit.* vel ab initio, *l. 19. §. 3. ff. Locat.* vel postea in solutum dentur. *d. l. 9.* Si conveniat de taxanda mercede post usum sive factum, cessat nullitas & est contractus innominatus. *§. 1. Inst. de Locat. Ludvvell. & Vultej. ad §. 1. Inst. de Locat. Pac. analys. Inst. §. 1. eod.*

CAPUT V.

De Nullitatibus in Contractu Emphytevtico

I.

EMphytevsis (Erbzinß) est contractus (juxta quosdam) Juris Gentium, quo ager seu fundus à Domino alteri utendus & fruendus sub lege meliorationis & præstationis annuæ, in recognitionem dominii, conceditur. *Beat. Dn. Ungeb. in Comment. ad Decret. tit. de Locat. n. 30.* Quibus subjaceat nullitatibus, ex sequentibus apparebit defectibus; & quidem primùm si constituens emphyteusin non habeat jus alienandi; cùm enim emphytevsis sit alienationis quædam species *l. fin. C. de reb. Eccles. alien. vel non.* Si tamen quis, qui non verus est Dominus, alienò nomine constituat, ut Tutor & Curator, & quidem adhibitô, decretô, adhibitisque debitis Juris solennitatibus, *Dn. Brunn. ad l. 13. C. de præd. & aliis reb. min. sine decret. non alien.* Prælati, Rectores & Curatores Ecclesiæ vel alterius Collegii Ecclesiastici, ut Monasterii, non vitiatur contractus, *Magnif. Dominus Struv. Synt. feud. c. 5. aph. 2. & seqq. Nov. 7 c. 3. c. 7.* Aut si constituatur tali personæ cui interdictum est rerum commercium. *Dn. Struv. Syntag. feud. d. c. 5. aph. 12. cum seqq.* Qui bona Majoratûs (Stamgütter) perpetuò ad familiam pertinentia possidet, non nisi quoad vixerit in Emphyteusin dare potest, *arg. l. 31. ff. de pignor. l. 9. §. 1. ff.*

Locat.

Locat. Ludov. Molin. l. 1. Hispan. primogen. c. 21 Nec Vasallus citra consensum domini feudum in emphyteusin dare potest alicui, nisi hac conditione, ne dominium utile transeat ad emphytevtam. *Nov. 7. c. 1. vers. alienatione 2. F. 52. vers. hortatu itaq; & tit. 55. vers. habitationem.* Quoniam marito fundum dotalem neque consentiente muliere alienare licet, relinquitur, quòd nec illum in emphytevsin dare possit. *arg. §. 1. Inst. Quib. alienar. lic. vel non. arg. l. unic. §. 15. C. de rei uxor.*

II. Notanter in definitione dictum, quòd sub lege meliorationis constituatur. Si ergò nulla meliorationis fiat mentio, vel utile dominium non transferatur, sed solùm ususfructus, aut non sub canone annuo, sed gratuitò, in formam precariæ transit contractus. *Vultej. ad §. 3. Inst. de Locat. Cond. n. 11.* Aut si quis jus suum quod in re habet, prorsus in alium transferat, ut penes concedentem nihil præter annuam pensionem remaneat, contractus est censualis. vid. *Naurath. ad Zoes. in Cod. de jure Emphytev. lit. B. Berlich. part. 2. conclus. practic. 47. n. 1. 2. & seqq.* Si convenerit, ut quis in alterius solo superficiem h. e. quicquid supra faciem terræ est, habeat annuâ pensione, itidem nulla est emphytevsis, sed sub forma superficiarii contractûs relinquitur *arg. l. 2. §. 17. ne quid in loc. publ. Magnif. Dn. Struv. Ex. 45. θ. 128.* Neque creduntur partes emphytevsin intendisse, si res per longum tempus alicui sit locata. *Dn. Ungeb. ad Decretal. de locat. & Cond. n. 19. Pac. analys. Inst. § 3.* ubi rationem subnectit. Imò etiamsi ad longissimum tempus res locata sit; datur enim locatio in perpetuum propriè sic dicta. *Prænobiliss. Dn. Schröter in Resolut. ll. Codicis ad leg. ult. de Jure emphytev. Rittershus. part. 2. feud. l. 2. c. 3. q. 36. Harprecht ad §. 3. Inst. de Locat. Cond. n. 88. Bachov. 1. D. 29. θ. 4.* Locationis autem natura est, quòd nunquam transferat dominium, neque possessionem, *l. 30. ff. Locat. § 5. Inst. de Interdict.* quod tamen emphytevsis, quàmvis non directum, tamen utile transferre solet.

III. Utrum omissio Scripturæ, sive instrumenti emphytev-

tici, des Meyerbrieffs/ ita vitiet hunc contractum, ut sit Nullus, quæritur? Negat. *VVesenb. in Parat. ad Tit. Si ager Vectig. s. emphyt. n.* 3. & quidem quoad secularem, non tamen quoad Ecclesiasticam. In utraque specie negativam tenet *Dn. Hahn. ad VVes. alleg. v.* Quod, licet majori & probabili consensu affirment *Treutl. 1. Disp.29. §.9. Perez. in prælect, Cod. ad Tit. de Jur. emphyteut. n. 2. Dn. Brunnem. ad l. 1. C. d. t. Dn. Carp. P. 2. Const. 39 def. 7.* quam decisionem ex verb. *l.1.* interveniente Scripturâ, colligunt, cùm plerumq; ex duobus ablativis singulare aliquod mysterium eliciatur. Huc *add. Gothofr. in not. ad. d. l. 1. l. B.* asserentem speciale hoc esse in contractu nostro: Tamen cum *Magnifico Dn Præceptore Struv.* Exerc: 24. §. 31. priori Dn. Hahnii sententiæ inhærendum.

CAPUT. VI.

Exquirit Nullitates in Contractu Feudali.

I

Contractus feudalis est, quo Domino utile dominium promittenti, & solenni actu assignanti, quis se obligat ad præstandam fidem, *Magnif. Dn. Struv. Syntagm. Feud. c. 5. aph.4.* Hic, quibus casibus nullius fiat momenti, facilè constabit ex enumeratione defectuum sequentium. Nullus autem est vel ratione personæ feudum dantis, si videlicet Ecclesiasticus, utpote Prælatus, qui curam alicujus Ecclesiæ gerit, feudum citra consensum Capituli conferat, cùm tamen antiquus Ecclesiæ mos hoc non fuerit, ut ejus prælati feuda dederint. *c. un. in pr. de his qui feud. dare poss c. unic. Episc. vel Abb. 1. F. 6.* Non verò irritus est, quàmvis fœmina feudum constituat; & licèt indecorum esse videatur, ut fœminæ viris imperent, cùm imperare sit ejus qui perfectioris naturæ s: & ob id etiam nullum virile munus Romani muliebri Sexui facilè concrediderint, *l. 2. de R. I.* Nam cùm per consuetudinem quæ jus facit, introductum sit, ut etiam feuda à fœminis constitui queant, uti moris esse in Anglia traditur, *Arum. Disp feud. 3. §. 18.* non est quòd quis refragetur; volunt tamen constitutionem fieri debere consensu viri, tanquam Cura-

toris

toris conjugalis, sive Curatoris alterius, *Georg. Schulz in Synops feud. c. 4. n. 25. Schneidevv. Epit. feud. p. 3. n. 74.*

II. Quod dictum in reliquis contractibus, Pupillum Minorem, Prodigum, furiosum, insufficientes esse, etiam ex eadem ratione ad hanc materiam erit applicandum: quoniam rerum suarum liberam administrationem non habent, l. *6. ff. de V.O.* nisi cum Curatoris consensu & requisitô prius decretô feudum i. e. contractus feudalis, celebratum fuerit; quod requiritur ideò, quia feudum regulariter, & propriè consistit in rebus immobilibus *c. unic. §. f. de feud. cognit. 2 c. unic. §. ult. in quib. caus. feud. amitt. F. 23* quas tamen præcisè absq; decreto alienare licitum non esse, indubitati Juris est, *vid. tot. tit C. de pred. & al. reb. minor. non alien.* nisi sit antiqui feudi renovatio, quia ibi non tàm videtur fieri alienatio, quàm antiqui feudi continuatio, *Dom. Arum. D. feud. 3. θ. 23. Magnif. Struv. Synt. feud. c. 10. aph. 9.*

III. Ex causa personæ acquirentis feudum, nullum est feudum: videlicet si quis fortasse proscriptus sit, hæreticus, crimine læsæ Majestatis aut alio publicô crimine notatus. *Rosenthal in thesaur. feud. c. 3. concl. 19. & 23. Arum. D. 3. θ. ult.* De cœtero, huic contractui non adversatur, an quis sit sexûs fœminei, sivè Masculini, ætatis cujusvis, modò septimum annum egressus sit, conditionis, sc. liber an Servus, sui vel alieni Juris, Nobilis an ignobilis, par an inferior, Clericus an Laicus. *d. D. 3. θ. 42.* Sanè de Hermaphrodito non est dubitandum, quin ille feudum acquirere possit, cùm, uter sexus potior sit, saltim in succesfionibus feudalibus observetur. *Borcholt. de feud c. 5. n. 45. Schrad. de feud. p. 7. c. 5. n. 18.* Idem dicendum de muto vel casu, vel â naturatali, nec non de cœco vel casu vel naturá, *Sonsbec. in comment. ad usus Feud. p. 16. n. 6. Rosenthal. de feud. c. 3. q. 7.*

IV. Ratione Objecti feudum in re mobili, quæ ne quidem civiliter immobilis, si constituatur, eatenus equidem nullitas committitur, quòd feudum non sit proprium, Salvatur tamen ita, ut feudum improprium constitutum esse dicatur. Ex peculiari enim Juris feudalis dispositione talis res in feudum dari non potest. *c. unic. vers. sciendum. de feud. constit:* Neque consensus domini tantùm efficere potest, ut habeatur pro feudo; sicuti in emti-

one-venditione, si aut pretium aut merx deest, planè nulla est ea, quàmvis partes velint esse. Civiliter autem immobilis res est quæ quidem est corporalis mobilis, pro re tamen immobili habetur, ex eo quòd ita rei immobili adhæret, ut civiliter loquendo ab ea separari nequeat. *Consummatiss. Dn. Struv. Synt. civil. Ex. 3. θ. 84. & 85.* sic res civiliter immobiles sunt Instrumenta, item animalia quæ ad fundum parata sunt: huc refer homines glebæ addictos, *Magnif. Dn. Struv. Synt. Feud. c. 6. aph. 12. & breviter*: Omnis res ad Jus feudi suscipiendum apta, immobili æquiparatur. *2. feud. 1. in fin.* Annuorum itaq; redituum rectè feudum esse, unanimi consensu tradunt Dd. *Tirasquell. Geil. & Arum. D. 4. θ. 23.* it. fodinarum, metallicarum, lapidicinarum ac salinarum. *arg. l. 9. pr. §. 2. & 3. ff. de usufr. l. 7. §. 13. l. 8. ff. solut. matrim.* Ex his facilè constat, quomodo ex Camera Principis certa pecuniæ summa in feudum dari possit, quod vulgò feudum Cameræ appellant: quòd nimir. illud consistat in iis, quæ inter immobilia numerantur, & Camera ipsa sit quasi fundus, qui fructûs profert, ideoq; sicuti ad usufructuarium damnum pertinet, si per annum fructûs non nascuntur; ita & in hoc cameræ fundo Vasallus sustinet damnum, neq; ei dominus pecuniam solvere tenetur, si citra ejus culpam Camera sit exhausta, ut solvi nequeat. *cap. notandum est. pr. de not. feudor. 2. F. 58. Beat Dn. Ungeb. in decretal. de feud. n. 4.*

V. An feudum in pecunia constituendo, citra cautionis quæ in quasi usufructu requiritur præstationem, nullitas committatur? quæstionis est. Juxta mentem quidem *Finckelthus. D. 1. th. 3.* ita esset dicendum; Verùm quoniã eo ipso momentô cùm pecunia in feudum convertitur, dominus non tantùm dominium directum, verùm etiam inde dependentia acquirit, negativam potius amplectendam esse suadet *Magnif. Dn. Struv. Synt. Feud. c. 4. aph. 3. in fin.* Non igitur procedit argumentum in hoc casu à quasi usufr. ad feudum: cùm in illius constitutione nihil aliud quàm proprietas conservetur, quæ facilè potest à quasi usufructuario interverti.

VI. Quoniam res sacræ & religiosæ non sunt in commercio §. 8. *J. de R. D. l. 21. C. de SS. Eccles.* consequens est, nec illas posse hujus Contractûs objectum esse, nisi civitas, in qua sunt res sacræ, in feudum detur: quia tunc simul transeunt, non quidem

ut

ut earum utile dominium Vasallus, nanciscatur, sed ut in illa Civitate permaneant, *Magnif. Dn. Struv. Synt. F. c. 6. aph. 3.* Res litigiosæ quæ specialiter alienari non possunt, secundùm jus Civile *l. 2. & fin. ff. de litig.* itidem fundus dotalis, nec hîc locum inveniunt. Molendina pneumatica, quamvis alias quoad hæc dubitetur, etiam in feudum venire posse sine ambagibus *Dn. Schnob.* statuere non erubescit. *Disp. feud. 4. th. 8. & Knichen de pact. vestitur. p. 2. C. 4. n. 56.*

VII. Nullus porro est hicce contractus ratione formæ s. modi contrahendi; ut, si convenerit, ne fidelitas ab utraque parte tàm Vasalli quam domini præstetur: Siquidem fidelitas maximè attingit substantiam ejus, adeò, ut si contrarium actum, non solum nullum sit feudum, sed & nec alius contractus, qui cum hoc similitudinem aliquam habet, fieri possit, *per l. 1. §. 4 ff. de Constit. pecun. & l. 1. §. 2. ff. de V. O.* Item nullus est quando promissio feudi purè est concepta, cùm adhuc dominus habet Vasallum *2. F. 35. 1. F. 9.* etiamsi possessor sine liberis decesserit; ob eam rationem, quia ab initio vitiosum negotium tractu temporis convalescere non potest, *Juxt. l. 29. de R. J.*

VIII. An involvat nullitatem, quando prælatus qui juravit, se nolle de novo infeudare; eô non obstante, rem inconsultô Pontifice Romanô in feudum tradit? Resp. Quòd non: e. g. Si Vasallus Ecclesiæ decessit, & feudum quod Ecclesia habebat, est devolutum ad Episcopum, potest Episcopus illud alii dare non obstante juramentô; vel si Vasallus feudum quod ab Ecclesia tenebat, alienavit sine consensu domini, & ita illud amisit, potest Episcopus filium Vasalli, vel consagnineum ejusdem feudi consortem, de ipso investire *c. 2. extr. de feud. B. Ungeb. in decret. ad idem cap. 2.* An feudum sit nullum, si conveniat, ne dominus feudi proprietatem penes se retineat; Item ut jus tantùm fruendi pertineat ad Vasallum; nec non, si conveniat ne Vasallus domino pro feudo servitia præstet? Et magnô dissensu inter Dd. controvertitur. *Dn. Schnob. in D. f. 1. th. 21.* nihilominus feudum firmum esse, etiamsi talia pacta interveniant, contendit: ex ea ratione, quòd feudi essentiam non ingrediantur.

CAP.

CAPUT VII.
De Societatis Nullitatibus.

I.

Quintus contractus Consensualis sc. societas, quæ est contractus, quo unius rei aut plurium communionem mutuô consensu quidam suscipiunt, lucri inde in commune faciendi gratiâ. *Suthol. D. 15. th. 24.* quando nullus sit ratione personarum, paucissimis videndum. Nullius planè roboris est, quando sunt Personæ quæ consentire nequeunt, nec bonorum suorum liberam habent administrationem *l. 7. §. 1. ff. solut. matrim.* Non itaque mulier, pupillus & alii societatem inire possunt, Hæretici, Hostes ac Saraceni. Procurator in negotiis sibi mandatis, quoniam societas ex parte alienationem Universalem inducit, *l. 1 §. 1. ff. pro soc.* nisi specialiter ipsi mandatum sit, in negotiis mandati scontrahere societatem. Incerta persona; quoniam hîc industria alterius potissimùm spectatur, §. 5. *Inst. de societat.*

II. Quoad objectum non valet societas, si inita sit de rebus inhonestis ac illicitis, e.g. cùm quidam conveniunt de monopolio h.e. tempore fortè abundantiæ frumentum emunt, aliosque in emtione impediunt, ut pluris vendant caritatis tempore. *Menoch. lib. 2. A. Q. cas. 569. n. 5. & 6. Farin. p. 2. fragment. n. 292.* nisi ob utilitatem publicam, cujus semper potior est habenda ratio, aliquibus concessa sit certarum rerũ negotiatio. *Azorius p. 3. Inst. Moral. Caspar Klock. de Ærario lib. 2 cap. 26. n. 10. seqq.* Illud expeditum est, nihil interesse, an omnia, & universa bona, an quædam communia fiant, quæ communicatio fit, non quidem per Constitutum possessorium; verùm per fictionem brevis manûs, *per l. 2. ff. pro soc. argum. l. 15 ff. de reb. Cred. Ludvvel. ad pr. Inst. de societ. n. 4.*

III. Sequuntur Societatis nullitates ob vitium in forma ejus commissum. Cùm societas ad commune lucrum & damnum communicandum tendat, sequitur, quòd si non proportio æqualis & quidem Geometrica observetur, adeò ut leonina societas exerceatur, quæ est, cùm quis contraxerit ut damnum, non etiam lucrum alter percipiat, *VVesenb. in parat. ad h. t. n 7. Ludvvell. §. 1. n. 1. & 2. Inst. eod.* nullatenus vires habeat, Non verò

si

si per se partes inæquales sint: quoniam conveniri potest, ut alter unam, alter duas lucri aut damni partes sustineat, vel ut nullam damni, aliquam lucri consequatur, si scil. opera socii fortè tanti sit, quanti damnum verisimiliter esse queat. Tunc enim non contrarium adest naturæ societatis, ut Quintus Mutius JCtus voluit: vid. §. 2. *J de Societ.* Sed, si ita pepigerint, ut is qui operam confert, pecuniæ quoque periculum ferat, adeoque alteri suum capitale semper sit salvum, leonina societas est, quæ sapit usurariam pravitatem; at verò omnis contractus usurarius ipso jure nullus est. *Magnif. Dn. Struv. Ex. 17. th. 78.* etsi juramentum accesserit, *add. Geil. 2. Obs. 24.*

IV. Præterea nulla est quidem societas, verùm absque Nullitate, si plures aliquam rem emerint, *l. 31. ff. pro soc.* & animus societatis ineundæ simul non adsit *Menoch. 3. præs. 56. n. 26.* cùm non quævis communio statim fit societas, sed præcisè consensus de illa ineundâ intervenire debeat, sive pure & in perpetuum (quod tamen civiliter intelligendum, quoad socii vivunt) *l. 70. ff. Pro soc.* vel conditionis adjectione, vel temporis sive ut termini à quo, sive ad quem *l. 75. d. l. l. pen. C. eod.* Proinde non statim vocanda societas, quando fratres retinent hereditatem indivisam & alteruter aliunde sibi quid acquirit, licèt id ex communi pecunia acquisierit, ut tradit *Dn. Carpz. Jurispr. for. p. 3. C. 15. def. 45.* ideoque necessario constare debet de societatis animo. Qui, quomodo probetur, quia nostri instituti non est, non curiosus ero: hoc saltim adjiciens, quòd præter testes & instrumenta in contractu facta, etiam ex literis alicujus socii, ad alterum socium scriptis, in quibus eum socium nominet, aut alio modô societatis mentionem faciat, probata sit Societas. *Tiber. Dec. Resp. 97. n. 28. Vol. 1.* item ex facto, veluti bonorum communione, nec non damni & emolumenti participatione, *l. 53 §. 6. ff. pro soc.* cohabitatione, *Anchoran. Cons. 302.* Quòd hicce contractus stipulatione fieri non possit, ostendit lex 71 *ff. pro soc.* neque per donationem s. donationis Causa. *l. 5. §. 2. d. t. l. 16. §. 1 ff. de minor. l. 32. §. 24. de donat. inter vir. & uxor.*

D CAP.

CAPUT VIII.
De Nullitatibus Mandati

I.

ULtimâ vice progredior ad Mandatum, quod est contractus de negotio quodam alterius gratis suscipiendo, & exequendo. *l. 1. §. ult. ff. Mandat.* § *ult. Inst. eod.* In quo & pro instituto nostro quædam adducendæ erunt Nullitates: Et quidem primò ob vitium aliquod personarum, vel Mandantis, vel Mandatarii. Respectu mandantis, si ille non sit habilis ad mandandum, uti Pupillus atque minor sine Tutoris vel Curatoris autoritatis vel consensûs interventu, *l. 11. C. de Procur.* idem obtinet *Jure Saxon.* in muliere, quoniam nec illa ut Pupilli, ac minores, legitimam personam standi in judicio habet. *Dn. Carpz. P. 1. C. 1. def. 32.* quòd si mulier in aliena versetur causa, neque si consensus Curatoris interveniat, mandatum valebit, *arg. l. 60. §. 1. ff. d. t. Scotan. Exam. Jurid. pag. m. 356* Tutores & Curatores in causis judicialibus, quoniam non sunt domini causæ, non possunt procuratorem dare. *l. 11. C. de procurat.* huc facit & hoc, quòd illorum industria hîc omninò sit electa, *Anton. Fab. ad l. 74. ff. de procur. Hillig. lib. 18, c. 12. lit. R.* Possunt tamen actorem dare § *fin. Inst. de Curat.* etiam absque decreto, *Berlich. P. 1. conclus. 16. n. 10.* Postquam verò post litem contestatam (wenn der Krieg rechtens befestiget) Tutor vel Curator dominus litis factus, magis est ut procuratorem constituere posit uterque.

II. Respectu personæ mandatum suscipientis nullum est negotium, si minori mandentur negotia Judicialia, secundùm jus Canon. scil. & hodiernos mores, *c. qui generaliter 5. §. ult. de procurat. in 6. Dn. Schnob. D. ad ff. 3. 8. 14.* quàmvis secundùm Jus civile aliud obtineat §. 5. *Inst. qui & ex quib. causis.* Si procurator ante litem contestatam alii demandet negotium *l. 8. & l. 11. C. de procur.* quod tamen Jure Sax. neque post litem contestatam locum habet. *Dn. Carpz. de Process. Tit. 5. n. 13. & seqq.* nisi facultas per mandatum primum ipsi mandanti data. Si Procurator causæ matrimonialis alii mandet eandem: ibi namq; ingens periculum, quod ex tàm arduo facto contingere posset, metuendum

dum, *cap. ult. de procur. in 6.* An & si infamis procurator Judicialis, cum de ejus infamia liquidò constet, constitutus sit? *Bachov. ad §. 11. Inst. de Except. Ummius Disp ad Process. 3. n. 17.* Deniq; si fœminæ, præsertim Carfaniæ imitatrices, *l. 1. §. 5. ff. de postul.* Miles, aut qui Reipublicæ causâ absuturus est, aut perpetuô tenetur morbô, aut Magistratum initurus, mandatum acceperit. *l. 54. ff. de procur. & defens.*

III. Deinde nullum est mandatum ex vitio objecti, si nimirum factum sit illicitum & inhonestum. *l. 6. §. 3. ff. Mandat. §. 7. Inst. eod.* quale est, si pro adolescente luxurioso apud meretricem ejus mandatu quis fidejubeat, *l. si vero 12. §. 7. ff. Mandat.* Imò in tantum nullum est facti illiciti mandatum, ut sæpè non solùm mandans, sed & mandatarius læso teneatur mandatô executioni datô. *l. 7. §. 5. ff. de jurisdict. Pranobil. ff. Dn. Schröter ad Suth. D. 15. §. 55.* & jure Canon. quàmvis nondum mandatum adimpletum sit, nihilominùs mandans teneatur. *Clement. si quis suadente 1. ubi gloss. in verb. mandaverit. de pœn. c. pro human. circa fin. de homicid. in 6.* Imò mandans tenetur, quàmvis aliàs mandatarius facturus fuisset. *Ludov. ad §. 7. Inst. de Mandat. & cum eo Schneidevv. ad §. 6. Inst. eod.* Negotium alienum si mandetur, non vitiatur; sed cum hoc temperamento, ut obligatio quæ ex mandato proficiscitur, ad nullos alios quam ad contrahentes ipsos & eorum heredes pertineat.

IV. Mandatum in ea jurisdictione, quam Magistratus non jure propriô habet, nullum est Jure Civili, e. g. in mero imperio (Jurisdictionis in generali significatu sumtæ, *Dn. Schnob. D. ad ff. 2. §. 2.*) Nam nemo poterat in caput civis alicujus Romani animadvertere, nisi ipse populus in statu populari, nisi specialiter lege vel SCtô ipsi concessum. Cùm itaque tantùm quasi mandatarius erat, non poterat illud alii mandare. *Magnif. Dn. Struv. Ex. 4. §. 40. & Vultej. §. 3. Inst. de mandat. n. 34.* Sed enim quoad hanc materiam hodiernis moribus â juris communis dispositione plurimum recessum esse testatur *Georg. Schulz in Synops. Inst. ad tit. de Mandat. lit. A. in fin.* & ob infirmitatem, aliasve

 ju-

justas similes causas delegari posse, apertum est *ex Constit. Crim. Carol. V. artic. 2.*

V. Item nullum est in iis negotiis, quæ sunt jurisdictionis extraordinariæ, ut Tutoris datio, *l. 6. §. 2. ff. de Tutel. l. 8. pr. l. 19. ff. de Tut dat Sutholt. de juris dict. aph.* 157. in cognitione super manumissione, & minore 20. annis & in legis actionibus, mandatum cassum est, *§ 4. Inst. qui & ex quib. l. 2. pr. ff. de offic. ejus cui. l. 2. l. 3. de offic. proConsf. l. 1 2 de off. jursdic. l. 4. de adopt l. 21. de manumiss. vindict. Sutholt. d. D. aph.* 170. Similiter in cognitione super transactione de aliementis ex testamento relictis, *l. 8. pr. §. 18. de transact.* cognitione super prædiis minorum non alienandis, *l. 2. §. 1. de offic. ej. l. 1. §. 5. l. 9. l. 11. ff. de reb. eor. qui sub tut.* Juramentum jure Saxon. mandari non posse tradit *Magnif. Dn. Struv. Ex. 17. §. 17.* quâmvis jure civili atque moribus receptum sit, ut procurator in animam principalis juret (in seines Principaln Seele) *Gail. 1. obs. 83. Berlich. p. 1. concl. 31. n. 14.* An etiam in criminalibus procurator dari queat quæritur? Olim quidem, cùm accusator se inscribere tenebatur, nemini causæ criminales mandari poterant, *l. 3. ff. de accusat. & inscript.* Hodie verò, cùm juxta *Ordin. Criminal. art. 12.* cautio præstetur de injuriis & expensis in casum succumbentiæ, vel accusator tenetur in carcere, ex parte actoris indistinctè mandari possunt. *arg. d. artic. 12, Dn. Carpz. p. 3. Quæst. 105. & seq. Menoch. de A. I. Q. quæst. 79.*

VI. Deinde nullum est mandatum, si vitium, sit in forma quæ in eo consistit, quod debeat inter partes contrahentes consentiri; vel expresse datisque literis de eo conscriptis (Vollmacht) ex quibus mandatum probari possit; vel tacitè, cùm negotium quis præsens nec dissentiens & contradicens geri sinit *l. 18. l. 53. h. & l. 20. §. 1. eod. l. 6. C. eod.* super negotio quod gratis quis nomine suô gerendum committit, alter suscipit. *l. 8. § 1. ff. de procur.* Notandum de judiciali mandato, quòd continere debeat nomen mandantis, Mandatarii seu Procuratoris, judicii & judicis, coram quo ex mandato alterius quis litigat, & causæ designationem; neque omitti debeant clausulæ consuetæ, quarum una si prætereatur, mandatum sit nullum. *Beat. Dn. Ungeb. in decretal.*

Tit.

Tit. de procur. n. 36. Vultej. in Jurispr. Rom. c. 30. n. 29. Et jure Saxon. debet esse legitimum, i. e. subscriptum & Sigillô corroboratum; nec sufficit exhibere Blancetum vel Chartam blancam, licèt in subscriptione expressum sit, illud esse mandatum in ea causa. *Dn. Carpz. p. 1. c. 1. 28.*

VII. Quamvis regulariter mandatum gratis suscipiatur, si tamen honorarium interveniat, non est, cur illud nullum dicamus *l. 6. pr. ff. Mandat.* etiamsi illud salarium non liceat actione mandati, sed actione præscript. verbis aut extra ordinem exigere, *VVes. d. n. 12. VVisenbach. Disp. ad ff. h. t. θ. 16. 17.* Nullum tandem intelligitur mandatum quoad ea, in quibus mandatarius limites mandati transgressus est, imò nec negotiorum gestio, *l. 3. 4. 5. in pr. l. 6. § 1. l. 8. § 4. l. 22. § final. ff. Mandat. Vultej. ad § 8. Inst. d. t. & Magnif. Dn. Struv. Ex. 22. θ. 12. Arum. D. ad ff. 12. θ. 13.* Non obstat *l. 41. ff. Mandat. vid. Ludov. ad § 5. Inst. d. t.* nullô respectu habitô, quòd utiliter f. ad utilitatem mandatoris fines excessi sint. *Idem accuratiss. Ludvvell. add. § 8.*

VIII. Sicut negotiorum gestio nulla censetur facta, si quis non habuit animum obligandi alterum, sed potiùs animum donandi, *l. 44. eod.* aut pietatis *l. 27. § 1. d. t.* ita nec mandatum esse putatur, si quis animô commendandi, aut si quis non procuratoris animô intervenerit, sed magis studii tantùm causâ deferat officium, *VVesenb. in parat. ad Tit. Mandat. vel contra n. 6.*

CAP. IX.

Agit de Nullitatis actione.

I.

USus eorum, quæ hactenus dicta sunt, consistit in eo, ut Nullitate in aliquo contractu commissâ, neglectâque ejus formâ, nulla quoq; sequi possit operatio: formæ quippè officium est operari; & ubi non est forma, ibi neque effectus, adeoq; nec actio exinde nascetur jure subsistens, sed si de facto unus contra alterum agat, exceptione tutus sit; aut si jam præstitit, ad quod tamen planè non tenebatur, competat actio, seu ut vulgò dicitur, Remedium Nullitatis, quo agit ad salvandum suum Jus, ob vitiositatem & nullitatem actûs. Hoc remedium saluberrimum,

Vant. de Nullitat. Tit. 1. n. 18. 19. est extraordinarium, quod in defectu aliarum actionum solùm intentatur. *Klock Tom. 2. Consil. 45. n.* 8. Cùm enim per officium Judicis & per sententiam actus denium annullatus est, non competit illud, sed actio vel exceptio judicati *l. 4. pr. §. seq. l. 6 §. ult. ff. de re judic.* Item, si contractus strictò jure firmus, propter iniquitatem autem annullandus, competit remedium aliquod rescissorium, quale est restitutio in integrum, *lib. 4. ff tit. 1. 2. 3. 4. seqq. lib. 2. Cod. tit. 20. usque ad tit. 55.* Aut si judex non contra jus scriptum, sed contra jus partis sententiam dixerit, non potest uti hôcce remediò, sed beneficio appellationis, quo corrigitur illa iniquitas, *Klok. d. consil. n.* 10. modò alias rectè, vel ab inferiore ad superiorem, in causa competentis quantitatis, justoque tempore &c. instituatur, *vid. tot. tit. 1. 2. 3. 4. 5. lib. 49. ff.*

II. Potest tamen istud remedium interdum cumulari cum alio, modò illa comulatio non conjunctivè, verùm disjunctivè fiat. Etenim, nemo potest in libello conjungere restitutionem in integrum & Nullitatem; cùm illa præsupponat negotium validum; hæc directò impugnet & casset, *Menoch. Consil. 14. n. 11. Paris. Consil. 100. n. 36. Lib. 1. Hondedaus Cons. 34. n. 31. & seqq.* Conditionaliter autem rectè proponitur cumulativè, v. g. peto, negotium ob defectum solennitatis à LL. præscriptæ, declarari nullum ac irritum: quòd si fortè non posset dici nullum, peto, me tanquam minorem, ex calore juvenili lapsum, restitui, *Sfortia Odd. de restit in integrum; quæst. 27. n. 18. Schurf. Cent 2. Cons. lib. 9. n. 16. VVesenb. Cons. 6. n. 225. add. Mynf Cent. 2. Obs. 25.*

III. Rectè & effectivè competit hoc remedium cuique qui ob nullitatem se gravatum esse probare potest. Cùm enim potiùs pro actûs validitate sit præsumtio (nisi sit notoria nullitas, quæ etiam officiô judicis continetur) illam proponenti probare incumbit, *Klock Consil. 51. Tom. 2. n. 13.* affirmanti, vel etiam neganti, tàm actori quàm interdum reo, incumbit probatio, Magnif. *Dn. Struv. Ex. 28. θ. 6.* & in dubio contra nullitatem Judex judicare astringitur, ut tradit *Decian. vol. 4. Consil. 66. n. 9. Cephal. cons. 223. n. 7.* Quot autem & quibus mòdis probatio fieri posfit, tum ex *tit ff. de probat.* tum præcipuè ex *Vant. tract. de Nulli-*

Nullitat. Rubr. Quot & quib. mod. posſit & debeat nullitas probari, conſtat.

IV. Effectus hujus remedii eſt, quòd, ſive per modum agendi, ſive excipiendi proponatur, antequam actoris intentio clarè probetur, univerſum negotium ſuſpendat; probatione verò factâ, actûsque vitioſitate oſtensâ, verè illud perimat, ac idem ſit quaſi totus actus per illud impugnatus planè non factus eſſet, *l. 1. in f. & l. ſeq. ff. de Autor. tut. l. 25. ff. de ... l. 6. ff Qui ſatiſd. cog.* Quia itaque penitus pro infecto habetur, nec ipſa ſolùm principalis obligatio, verùm & omnis acceſſoria, ſeu quocunque modò ab ea dependens locum, habebit.

V. Quemadmodum autem alia Juris remedia, niſi intra certum temporis intervallum proponantur, præſcriptionem patiuntur; ita & hoc ab ea non eſt immune, & quoad aliæ actiones perſonales durant, ſcilicet 30. annos, *l. 3. & 4. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* durare quoque de nullitate agendi facultatem teſtatur, *Vant. de Nullitat. Tit. Quoties & intra quod tempus &c. n. 8. verſ. ſi vero.* Quod tempus tamen rectè ſtatuto anguſtius reddi poſſe tradit *idem ibid. verſ. quicquid tamen &c.* Sic Imperator quinqennalem non numeratæ pecuniæ exceptionem in biennalem mutavit. Et Sereniſſ. Elector. Saxon. nullitatem Sententiarum ad termin. Saxonicum reſtrinxit. *Ord. proceſſ. T. 38. pr. Dn. Carpz. proceſſ. T. 19. art. 3 n. 9.* Dixi facultatem Nullitatis &c. aliud enim eſt, ſi jam illa facultas in actum ſit traducta, & de juſtitia cauſæ nullitatis quæratur; tunc ejus inſtantia ad modum aliarum cauſarum inſtantiarum trienniô finitur *per l. 13. C. de judic.* quod tamen Conſtitutum neque in Camera, neque in inferioribus Judiciis obſervatur. *Dn. Schnob. Diſp. ad ff. 25. th. 21. cum Dn. Brunnem. ad l. 31. C. de judic.* Et tantum pro imbecillitate Ingenii temporisque penuria dixiſſe ſufficiat. Finio itaq; cum quo incepi, Redemtore meo, ac tibi Benevole Lector me totum commendo.

Sic juvat ASTRÆÆ ſibi conciliaſſe favorem
Spernando vanum, noctesque diesque ſtudendo.
Auguror: hicce labor tribuet tibi præmia digna
Alma manus Themidos nec te ſine munere linquet.

Pereximio atque Literatiſſimo
Dn. Reſpondenti, Diſputationis Autori, Amico & Auditori ſuo honoratiſſimo hiſce gratulari voluit

Statz Harbord von Windheim/D.

Præeximio Domino Martino Schützio, Auditori suo maximè industrio, ac Fautori singulariter Dilecto
ADRIANUS BEIER D.
S. P. P.

Quod non ita pridem Academicæ disputationis argumentum, de Nullitatib. circa contractûs consensuales frequenter occurentibus, omniq; adeò studiô præcavendis & evitandis, exhibuisti Schützl Perexi[illegible]e, Fautor amantissimè, certè non est de Nihilo, ut maximè nomen id pra se ferre videtur. Quid enim consensualibus contractibus est frequentius; aut qui ex omnibus necessarii magis, minusve evitabiles? ut qui ambitu suô negotia comprehendunt innumera, & exinde non contrahentibus solum, verùm & judicantibus plurimùm negotii facessant. Quin ipsi Legumlatores sagacissimi pro eorundem natura exactè determinanda vix suffecisse, exinde videntur, quod quantumcunq; intra bonæ fidei fines continetur, id omne Judicum arbitrio liberum reliquerint, Qui pro re nata negocium modo sanum atq; ab omni vitio integrum: modò pactis paullùm alteratum pronuncient: modò defectibus affectum curent; modo debitis destitutum requisitis aut deserant planè, aut sub alia forma & peregrino habitu salvent atq; restaurent. Quæ, ut cautè discernantur, haud parum prudentiæ exigunt, adeoq;, non Nullam, sed Magnam omnino operam impendere cogitur is, cui hæc conquirere, aliisq; proponere sedet animus Unde denuo concludo, Nequaquā de Nihilo esse præsens thema, sed de magni in Jure nostro momenti negocio. Præprimis, dum è nihilo isto, aliquid; ex Nullitatibus Ju[illegible] aliquod positivum eruere satagis & allaboras: tanquam facilè sit, vitia aliorum in virtutes convertere, & sicubi in contrahendo aberrarunt alii, id ita corrigere ut salutifera exinde quæratur aliis Medicina. Laudandos ergò conatûs Tuos carmine gratulatorio, ut modestè petiisti, volentissimus prosequerer, ni negata foret mihi vena, ut vulgus exprimit, Poëtica. Sed enim, ipsummet opus de artifice suo testatur. Quod, ponas licèt, examina Momi sustinere non posse, à Juvene nihilominus cum applausu & collaudatione excipiendum est, qui & exercitium & Patronos sibi quærit, & de futuris sic minatur profectibus, ut optima quæque de ipso nobis polliceamur. Id quod, dum ipsemet de Te quoq; spero, æstimatores industriæ & Studiorum Promotores, felicesq; successûs animitus adprecor. Bene modò rem age, atque quàm optimè vale.

So recht [illegible] nu seh' ich wohl worauff Er längst gezihlet
Herr Schütz / wann er den Geist der Rechte' in Jhm gefühlet /
Den Geist durch dessen Ruhm das sambte Musen-Chor
Jhn jetzet und beehr't in ihren Ehren-Thor.

Johannes Christoph Kühn / D. R. B.